Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE

SALOMONIS
AD ESVM POTVMQVE EX-HORTATIONIBVS,

QVAS LIBRO *COHELETH* INTERSPERSIT,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM, ANGARIAE, GVESTPHALIAE, RELIQVA,

IN ACADEMIA IENENSI

BENEVOLO INCLYTI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV
ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

PRAESES

M. IOANNES IACOBVS Rambach,

HALLENSIS

ET RESPONDENS

IOANNES VLRICVS HILDEBRAND,

VLMENSIS, SS. THEOL. CVLTOR.

AD D. XI. MAII. A. O. R. CIↃ IↃ CC XX.

IENAE,
LITTERIS IOANNIS FRIDERICI RITTERI.



DISSERTATIONIS PROOEMIVM.

SYNOPSIS.

SAlomonis Ecclesiastes aspera fata expertus est, §. I. In primis ob ea loca, quibus *esus* ac *potus* commendatur, §. II. quæ recensentur §. III. quorumque illustratio promittitur §. IV.

§. I.



QVamquam vix vlla pars est literarum S. quæ euitare potuerit equuleos hominum, qui Scripturas conuellunt, & in alienos sensus distorquent *: præ reliquis tamen indignam illam sortem expertus est SALOMONIS ECCLESIASTES, liber vtilissimus, & *paucis quidem*, vt PHILASTRIVS ** ait, *conscriptus sententiis, sed magnum tamen thesaurum cælestis scientiæ complexus.* Desæuierunt in eum iam olim grauissimæ tempestates, Iudæis pariter ac Christianis nonnullis in eius interitum conspirantibus; quorum illi tanto in librum innocentem odio exarsisse feruntur, vt eum prorsus supprimendum statuerint *** באשר מצאו בו דברים שמטין לצד מינות

 quod

* 2 Petr. III, 16.

** in Catalogo Hæresium n. CXXX. p. 79. Edit. Helmstad.

** vt ex ipsis Talmudicis

quod inuenirent in eo verba, quæ ad hæresin atque improbitatem homines *inclinarent.* * Neque multo reuerentius ille ab aliis, ex ipso Christianorum cœtu, male sanis capitibus habitus olim est: neque hodie desunt, qui frigidis ratiunculis concitati in libri diuinitatem critico dente grassantur. **

§. II. Ac plurimos quidem ad istam in iudicando præcipitantiam adegit veri Auctoris scopi ignoratio: quo neglecto, quum forte in loca quædam, tanquam in syrtes, inciderent, quæ, a suo nexu diuulsa, nescio quæ Epicuræismi semina ipsis fouere videbantur, eo processerunt temeritatis, vt sanctissimum librum sancto Spiritu indignum iudicarent. Istud vero, quod diximus, Epicuræismi fermentum maxime sibi visi sunt male illi sagaces homines subodorari in iis locis, vbi Salomo lectori suo hilaritatem commendat, eumque ad cibi potusque vsum adhortatur.

§. III. En illa, vt se offerunt, descripta & ex SEBASTIANO SCHMIDIO Latine expressa. אין טוב באדם שיאכל ושתה והראה את נפשו טוב בעמלו׃ *Quare non bonum est quoad hominem, quam vt comedat & bibat, & ostendat animæ suæ bonum in labore suo.* c. II, 24. הנה אשר ראיתי אני טוב אשר יפה לאכל ולשתות ולראות טובה בכל עמלו וגו׳ SCHMID. *Ecce quod vidi ego: Bonum, vt placeat comedere & bibere & videre bonum in omni labore suo cet.*

c. V,

pandectis (Tract. SCHABBATH. f. 30. b.) refert ABR. BEN EZRA Comment. ad Coh. VII.

* vide MIDRASCH COHELETH f. 114. col. 1.

** ex quorum numero saltem nominamus ANTONIVM COLLINVM libro de libertate cogitandi; notatum propterea a Viro Magnif. & S. Ven. D. BVDDEO *de Atheismo & Superstitione* c. I. §. V.

c. V, 17. ושמחתי אני את השמחה אשר אין טוב לאדם
תחת השמש כי אם לאכל ולשתות ולשמוח וגו׳ SCHMID.
Quare ego laudaui gaudium, quod non sit bonum homini sub sole, nisi comedere & bibere & lætari cet. c. VIII, 15.
לך אכל בשמחה לחמך ושתה בלב טוב יינך כי כבר רצה
האלהים את מעשיך SCHMID. *Abi, comede in lætitia panem tuum, & bibe corde bono vinum tuum: nam pridem adprobauit* DEVS *opera tua.* c. IX, 7.

§. IV. Ista sunt, LECTOR, præcipua loca, quæ esum ac potum impensius laudant, quæque in sinistram partem detorta imperitos mouerunt, vt de sapientissimo libro insipientissime pronuntiarent. Non inutiliter igitur operam nos collocaturos esse speramus, si loca illa sacræ philologiæ face paullo propius collustremus. Quo in argumento ita versabimur, vt primo quidem in *dicentis adfectum,* ac *verborum mentem* inquiramus: deinde eum, quem inuenimus *sensum*, adhibitis in subsidium vel communissimis interpretandi regulis, *stabilire, & extra omnem ponere dubitationem*, quantum in tanta breuitate fieri poterit, adnitamur. Quod, quantulum id tandem cumque est operæ, vt DEVS in sui verbi honorem cedere iubeat, submisse precamur.

SECTIO I.

QVA IN ADFECTVM DICENTIS, AC DICTORVM MENTEM INQVIRITVR.

SYNOPSIS.

Scrutinii adfectus necessitas atque vtilitas declaratur §. I. *Icon animi* Salomonæi, in libro Coheleth exarando, proponitur §. II. Narratur ordinis, vlterius seruandi, ratio §. III. *Phrases*, in illis dictis adhibitæ, seorsim singulæ excutiuntur, ac pri-

primo quidem *formula commendandi*, nimirum *Nihil* æque *bonum est homini*, *quam vt* edat &c. quæ tribus obseruationibus illustratur §. IV. V. Deinde *res commendata*, *comedere panem & bibere vinum*, ex vſu loquendi ſacro explicatur §. VI. item phraſis, *videre bonum*, §. VII. Quo facto de *ſenſu*, quem phraſes inter ſe combinatæ fundunt, diſquiritur, & inter duo extrema, ſenſum ſcilicet profanum nimis §. VIII. & nimis myſticum §. IX. *media* explanationis *via* oſtenditur, & breui *paraphraſi* dicta includuntur §. X. tandemque ad ſectionem ſequentem tranſitus paratur eiusq; argumentum exponitur §. XI.

§. I.

DE adfectu dicentis cognoſcendo nos ante omnia eſſe ſolicitos, nemo mirabitur, qui ſecum reputauerit, tam arctum eſſe adfectuum cum ſermone externo nexum, vt non ſatis accurate in verborum quorumcumque interpretatione verſari queat, qui labiis tantum dicentis intentus, adfectum obſeruare negligit, ex quo verba proficiſcuntur. Vnde in omni negotio hermeneutico nihil prius, nihil antiquius duxerunt viri harum rerum peritiſſimi, * quam vt ſcriptorem, quem intelligere cupis, iugi ac adſidua lectione quaſi e mortuis excites, quo viua ipſius voce, adfectus indice, deſtitutus, ſaltem mentis conceptu atque ingenii perſpicacia conſequaris, quo vitæ ſtatu fuerit, quum hæc talia exararet. Quum enim ** vti actiones, ita & cogitationes, atque ortus ex cogitationibus ſermo cuiusque ſtatui, indoli & adfectibus conuenire ſoleant; dubitari

* e. c. MATTHIAS FLACIVS in Claue Scripturæ Part. II. p. 99. n. II. IOANNES CONRADVS DANHAVERVS in hermeneutica S. pag. 347. cet.

** monente Viro Magn. & S. Ven. D. BVDDEO in elementis philoſ. inſtrum. P. II. c. III. §. 15.

tari profecto neutiquam poteſt, quin is ſenſus, qui ſcriptoris ſtatui, indoli & adfectibus congruit, pro vero ac genuino, ceteris paribus, debeat haberi.

§. II. Agedum igitur deſcendamus, quantum pote, in Salomonis animum, & quo ille adfectu, dum hæc ſcriberet, imbutus fuerit, diſpiciamus. Atque hic quidem non opus eſt ancipitibus coniecturis, incertisue diuinationibus. adeo enim clara adfectus veſtigia verbis paſſim impreſſa ſunt, vt vel cœcus ea palpando deprehendat. Siue enim ante grauiſſimum Auctoris lapſum liber conſignatus eſt, vt ſunt, qui putant; ſiue poſt agnitam defectionem, ſanatamque rurſus a DEO mentem לעת זקנת שלמה סמוך למיתתו *quum ſenex & morti propinquus eſſet Salomo*, * vt ipſi olim cum grauiſſimis auctoribus adſeruimus: ** vehementiſſimum ille vanitatis faſtidium, quantus quantus eſt, ſpirat. Vix libri veſtibulum ingreſſo vir diuinus, velut ex profunda meditatione expergefactus, illud ſuum הבל הבלים *** iterum iterumque occinit: quam concitatisſimam exclamationem mox († הכל הבל (†† גם זה הבל aliud ex alio ſequitur; plane vt repercuſſas ingenti adfectu voces circumiecta libri capita multiplicato ſono reddere vide-

* quæ verba ſunt Iudæorum in SCHALSCHELETH HAKKABALA f. 15. a. & in SEDER OLAM RABBA c. XV.

** in *Diſſert.* noſtra philologico-theologica de *libro Coheleth*, quæ ſub præſidio Ven. Præceptoris D. IO. HENR. MICHAELIS Halæ 1716. habita fuit, §. IX. ſqq. adde Magn. D. BVDDEI Hiſt. eccl. V. T. Tom. II. p. 342. ſqq.

*** *Vanitas vanitatum!* c. I, 2.

† *omnia vanitas ſunt.* c. I, 14. c. II, 11.

†† *etiam hoc eſt vanitas!* c. II, 1. 15. 19. 21. 23. 26. c. IV, 4. 8. 16. c. V, 9. c. VI, 2. 9. c. VII, 6. c. VIII, 14.

videantur. Audias paginis omnibus loquentem ſapientiſſimum ſenem, longo rerum vſu ſubactum, & ad fallaciſſimas vanitatum fraudes nauſeabundum, qui irritos vitæ anteactæ labores cenſorio oculo recognoſcit, & in quos ſe induerit laqueos, quibus erroribus a vera felicitatis meta abductus fuerit, ſincere narrat; vt quicumque audiuerint, diſcant alieno exemplo ſapere, relictisque rerum caducarum ludibriis, æterna amplecti.

§. III. Hæc de adfectu dicentis monuiſſe ſufficiat, quæ quanto nobis vſui futura ſint, ad mentem verborum rectius adſequendam, poſthac * adparebit. Proximum his eſt, vt *præcipuas locutiones*, quibus in locis allegatis Salomo vtitur, *ſeorſim* ſingulas *excutiamus*, ac deinde *quis* ex illis, inter ſe iunctis, *ſenſus* emergat, breuiter videamus.

§. IV. Ac primo quidem quod ad *formulam* attinet, *qua* eſum potumque Auctor *commendat*, ita illa habet, diuerſis in locis parum diuerſa: אין טוב באדם שיאכל c. II, 24. טוב אשר יפה לאכל c. V, 17. אין טוב לאדם תחת השמש כי אם לאכל c. VIII, 15. Ad quas laudandi formulas ſequentia placet adnotare. I. Quum ad eandem rem commendandam omnes adhibeantur, non illæ ſibi inter ſe opponendæ, ſed ex ſe inuicem ſupplendæ atque exponendæ ſunt. Vnde quum primo loco dicitur אין טוב באדם שיאכל minime vertendum erat, vt nonnemo fecit: *Non bonum eſt homini vt comedat;* ita enim primus ille locus poſtremo contradicet. Verum aut per *interrogationem*, vocis inflexione iuuandam, ** ſenſus formanman-

* infra Sect. II. §. I. II.

** vt monet IO. DRVSIVS ad h. l. in Criticis S. Tom. II. fol. 2066.

mandus eſt, *Nonne bonum* vel *melius eſt homini, vt edat?* vti cum B. LVTHERO, VVLGATVS interpres reddit, interrogatione negatiua fortius adfirmante; aut *ſupplenda* eſt ante verbum particula כי אם vel רק vt TARGVM, SYRVS, ARABS, ABR. BEN EZRA, * GROTIVS & SEB. SCHMIDIVS fecerunt, inducti locis parallelis c. III, 12. c. VIII, 15. vt is formulæ ſenſus ſit: *Nihil bonum* vel melius eſt *pro homine, quam vt edat, cet.* II. Quod c. V, 17. dicitur טוב אשר יפה iſtud ſiue cum LXX. & MART. GEIERO per genus *neutrum* exprimas, *bonum, quod* etiam *pulchrum*, ac ſumme conueniens naturæ eſt; ſiue cum AVGVSTO VARENIO ** ac IACOBO GVSSETIO *** genere *maſculo* reddas, *bonus* h. e. felix & beatus cenſendus eſt, *qui pulcher* ſeu belle diſpoſitus eſt ad edendum; ſiue denique cum SEBAST. SCHMIDIO particulæ אשר vim *coniunctionis* tribuas, † hoc modo, *bonum eſt, vt pulchrum ſit* vel placeat †† homini, *comedere*: ſenſus vbique eodem redibit.

§. V. Denique III. quum Salomonem eſum ac potum tantopere commendare audis, vt aliud præſtantius bonum prorſus ignorare videatur, ita tecum reputato, eum de illo bonorum genere loqui, quæ homini, eiusque præſertim corpori, in hac pleniſſima ærumnarum vita obtingunt. Vnde c. VIII, 15. expreſſe addit, nihil eſſe æque bonum homini תחת השמש *ſub hoc ſole*, quibus verbis ſta-

B tum

* qui adnotat ויחסר מקום רק או הרומה לו & confert ſimilem ellipſin infra c. IV, 17.

** in *gemmis Salomonis* ad h. l.

*** in *Commentario linguæ Hebr.* pag. 300.

† quam etiam habet c. V, 4. c. VII, 18. 21. conf. Ven. D. DANZII interpres §. XLV.

†† conf. phraſin *Chald.* Dan. III, 32. c. VI, 2.

tum בעלמא הדין *in hoc ſæculo,* (vt TARGVM addit) vbi tanquam in exilio mortales degunt, totumque vanitatis regnum, hoc in libro frequentisſime deſcribit. Neque enim aliud quidquam ſibi propoſuerat indagare c. II, 3. niſi, quid maxime expediret hominibus תחת השמים מספר ימי חייהם *quamdiu ſub cælo in hac vita verſantur.*

§. VI. Poſt commendandi formulam, *res* ipſa, *quæ* toties *commendatur,* expendenda venit. Illa igitur eo redit שיאכל ושתה *vt comedat ac bibat* homo c. II, 24. c. V, 17. vel vt c. IX, 7. expreſſius dicitur, *vt comedat lætus panem ſuum, ac bibat animo hilari ſuum vinum.* Vbi en rurſus pauculas obſeruationes! I. *Panis* pro quibusuis alimentis, ad vitam ſuſtentandam neceſſariis, præcipue iis, quæ comedimus, adhiberi ſolet; vnde etiam carnem ac reliqua eſculenta complectitur, vt pluribus exemplis SALOMO GLASSIVS docet*: ſimiliter *Vinum*, tanquam nobilior potulentorum ſpecies, potum quemuis ſalubrem denotat; cuius adeo cum pane hic mentio fit, quia vini & aquæ ** communis in illa regione erat vſus. II. *Panem* igitur *comedere* ac *vinum bibere* dicitur, quicumque legitime fruitur iis bonis, quæ DEVS ad corporis ſuſtentationem, ſiue largius ſiue parcius conceſſit. conf. Ier. XXII, 15.

§. VII. Poſtremo præter eſum ac potum iſtud quoque commendat Salomo c. V, 17. לראות טובה בכל עמלו *vt* quis *videat bonum in omni labore ſuo*, vel vt c. II, 24. dicit הראה את נפשו טוב vt *oſtendat animæ ſuæ bonum;* quæ locutio, quum aliquid obſcuritatis contineat, pariter ex

* in *Rhetorica S.* p. m. 449. adde 2 Sam. IX, 7. Iob. XLII, 11. & alia loca.

** conf. Gen. XIV, 18. 2 Reg. VI, 22. Alias *vinum bibere* eſt lautius viuere Iob. I, 18.

ex indole Hebrææ linguæ paucis explicanda eſt. *Videre* ſcilicet *bonum*, eſt *frui bonis*, quæ DEI benignitas largita eſt, coll. Pſal. XXXIV, 13. & CVI, 5. Iob. VII, 7. metaphora a viſu, qui acutior eſt reliquis ſenſibus, ad ſenſum in genere & experientiam translata. Neque enim *videndi* verbum in eiusmodi locutionibus ſimplicem indicat rerum iucundarum adſpectum, qualem Tantalo apud inferos pœnæ loco obtigiſſe fingunt; ſed ſimul hilarem rei conſpectæ fruitionem ac vſum inuoluit. *Oſtendit* igitur *animæ ſuæ*, hoc eſt, ſibimet ipſi *bonum*, qui omiſſo plura corradendi ſtudio, proſcriptisque inanibus de futuro curis, præſentia Dei munera in vſus ſuos pie conuertit.

§. VIII. Excuſſis ita breuiſſime ſingulis, quæ hic in cenſum veniunt, phraſibus, ſequitur, vt quem illæ, inter ſe combinatæ, ſenſum fundant, diſpiciamus. Hic autem *duo* nobis *extrema* obſeruare videmur, in quorum alterutrum irruiſſe nonnullos animaduertimus. Alii enim verbis, in partem deteriorem raptis, *ſenſum* prorſus *profanum* adfinxerunt, quaſi illud in Sardanapali expreſſum monumento * conſilium, *Ede, bibe, lude!* docere voluiſſet ſapientisſimus Auctor; aut quod illi Epicuri de grege porci crepant, *Edamus & bibamus, cras enim morimur!* Eſa. XXII, 13. 1. Cor. XV, 32. idemtidem inculcare. Qua

* vt ATHENAEVS Dipnoſoph. Lib. XII. p. 530. DIODORVS SICVLVS Lib. I. c. VII. aliique teſtantur quamuis: CICERO Tuſcul. Lib. V. c. XXXV. verbis paullulum immutatis tale eius epitaphium recitet;

Hæc habui, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit: at illa iacent multa & præclara relicta.

Ad quæ verba, Quid aliud, inquit Ariſtoteles, in bouis ſepulchro inſcriberes?

in ſententia veteres illi hæretici * fuiſſe dicuntur, qui ob talia loca totum librum, velut luxuriæ patrocinantem, reprobarunt. Neque profecto, ſi verus iſte ac ſerius verborum ſenſus ſit, aliud ferri iudicium poteſt: niſi forte ſtatuas, Salomonem iſthæc non ex animi ſui ſententia proferre, ſed recitare tantum profanas profanorum hominum cogitationes, qui nihil poſt mortem ſuperfuturum rati, in libero voluptatum vſu ſupremam quærunt felicitatem. Quod ipſum tamen dici facilius, quam probari poteſt.

§. IX. In alteram tamen partem & illi deflectunt, qui verborum proprietate relicta, neſcio quem *myſticum* & *allegoricum ſenſum* inde exſculpunt. Fallor? an huc referendus eſt B. AVGVSTINVS, ** qui, vt Salomonem prophetarum numero adſereret, ſpeciminis loco, tanquam vaticinium, ex libro Coheleth producit verba c. V, 17. *non eſt bonum homini, niſi quod manducabit & bibet*, eaque referenda eſſe dicit ad menſam, quam ſacerdos ipſe, mediator N. Teſtamenti, de corpore & ſanguine ſuo inſtruxerit. Neque longe inde recedit laudato loco PHILASTRIVS, hæreticis, librum reprobantibus, contradicturus. Vt nihil nunc dicamus de *CHALDAEI* interpretis ad c. IX, 7. gloſſis, *** deque CHRISTOPHORO SEBACHIO, ad allegoricas explicationes vltra, quam par erat, prono, qui verba

* apud PHILASTRIVM Hæreſ. CXXX.

** de *Ciuitate* DEI, Lib. XVII. c. XX.

*** quæ ita habent: *Abi, comede cum lætitia panem tuum, qui additus tibi ac repoſitus eſt propter panem, quem dediſti pauperibus & egeno, qui eſuriit: & bibe corde hilari vinum, quod reconditum tibi eſt in horto Eden, pro vino, quod miſcuiſti pauperi, qui ſitiens fuit. cet. conf. Matth. XXV, 34. 35.*

bac. V, 17. טוב אשר יפה לאכל ולשתות ita reddenda censuit: * *Bonum est eum, qui pulcher est, comedere ac bibere*, h. e. Christo, inter homines pulcherrimo Ps. XLV, 3. Cant. V, 10. per fidem frui, Ioh. VI, 53. 54.

§. X. Inter has vtrimque extremitates, *media via* est, quam ingressi, ibimus procul dubio tutiores. Statuimus igitur Salomonem omnino de eo cibi ac potus genere loqui, quo corpus reficitur; minime tamen turpem eius abusum, insanasque helluationes, otii comites, suadere, sed vsum legitimum, inter debitas gratiarum actiones, animo sereno, curisque mordacibus vacuo, adhibendum. Breuitatis caussa concisa paraphrasi mentem clarius exprimeus. Quum animum meum, *inquit* SALOMO, per ea omnia circumferrem, in quibus miseri mortales ærumnarum in hac vita solatia quærunt, nullum tandem deprehendi præstantius aduersus miseriam humanam remedium, quam vt in laborum & casuum nubibus animi servare serenitatem memineris, abiectaque tristitia, & suffocatis inutilibus curis, qualibuscumque DEI muneribus pia & hilari mente perfruaris. Agedum igitur, (c. IX, 17.) vir bone! erige animum, ancipitibus vitæ casibus prostatum; committe Numinis prouidentiæ tua ac publica onera, ac de futuris minus curiosus, præsentibus mente tranquilla vtere. Habes enim, si hominibus displiceas, DEVM propitium, tuarumque actionum adprobatorem.

§. XI. Enim vero, inquis, sensus satis benignus est, quem verbis tribui audio, neque paraphrasis magnopere

* in explicatione vernacula libri Coheleth ad h. l.

diſplicet: vnum deſidero, inconcuſſam animi conuictionem, perſpicuis argumentis effectam, qua hanc Salomonis mentem non ſolum eſſe poſſe, verum etiam eſſe debere, ſine oppoſiti formidine, videam. Bene habet! honeſtum deſiderium eſt, cui faxo vt ſatisfiat. En igitur VII. argumenta, vel ſi mauis, totidem argumentorum claſſes, quæ ſenſum, quem diximus, verbis contineri, profanum vero illum, §. VIII. ab iis exſulare, liquidiſſime euincunt; quæ inter ſe iuncta mirum erit, ſi vllum in animo tuo ſcrupulum relinquant.

SECTIO II.

QVA SENSVS DICTORVM VERVS STABILITVR, ET SPVRIVS CONVELLITVR.

SYNOPSIS.

ARgumenta pro ſenſu vero confirmando, ac ſpurio refutando ducuntur 1) *a ſtatu & adfectu Auctoris,* qui iſthæc monita dedit §. I. II. 2) *a ſtatu & conditione eorum, quibus illa dantur* §. III. IV. 3) ex *ſcopo* dictorum tum generali §. V. tum ſpeciali §. VI. 4) ex *contextu* atque antecedentium & conſequentium collatione §. VII. VIII. IX. 5) a *qualitate gaudii,* quod ſuadetur §. X. 6) a *qualitate rationum,* quibus illud ſuadetur §. XI. 7) ex *parallelismo* Scripturæ §. XII. Concluſio §. XIII.

§. I.

QVod ſi igitur adhuc dubius hæres, vtrum is, quem definiuimus, ſenſus mentem Salomonis fideliter exprimat, an alter ille, qui Epicuri ſcholam redolet, ſit præferendus? (de myſtico enim illo & allegorico nihil attinet dicere, quum ſine vlla neceſſitate verborum proprietatem, ſancte tenendam, deſerat) age, fac vt eorum rurſus

rurſus memineris, quæ in limine ſectionis primæ de *adfectu* & *ſtatu Auctoris* diſputata ſunt. Propone igitur animo tuo ſapientem aliquem ſenem, æternitati maturum (talem enim Solomonem, dum hæc ſcriberet, fuiſſe, fatentur omnes *) qui voluptatum pertæſus, faſtiditis mundi crepundiis, imminentem ceruici mortem meditatur, atque Spiritus Sancti inſtinctum ſentiens, alios ante obitum docere cupit, quomodo vitam, innumeris malis amaram, ita tamen tranſigere poſſint, vt inter media moleſtiarum agmina beati, mitem aliquando iudicem experiantur. Ab eo itaque an epulandi præcepta helluandique licentiam exſpectes?

§. II. Enim vero vix vllus eſt Salomone ſeuerior morum magiſter, aſperiorque leuitatis cenſor, cuius ne vmbram quidem & colorem ſuo diſcipulo indulget. *Cor*, inquit, *ſapientis eſt in domo luctus*, *ſed animus ſtolidorum in domo gaudii.* c. VII, 4. Et *ſalubrior eſt triſtitia* ſtolido *riſu.* v. 3. Tantumne? immo vero *Riſui*, inquit, *dixi, inſanus es! &* improbæ *lætitiæ, quid eſt, quod agis?* c. II, 2. Ecquid vero auſterius dici aut cogitari poteſt? Eumne putas effreni adfectui luxuriæque habenas eſſe laxaturum, qui & riſui frenum iniicit? Atqui ſi is demum ſenſus, vt ſupra ** monitum fuit, pro vero habendus eſt, qui ad Auctoris indolem & adfectum quam proxime accedit; dubium non erit, quin is, qui longiſſime ab eo recedit, pro ſpurio ſit agnoſcendus.

§. III. Iungamus porro Auctoris indoli *indolem* habitum-

* SCHIR RABBA fol. 4. col. 2. כל מודים שקהלת בסוף אמרו *omnes fatentur, quod librum Coheleth poſtremo dixerit.*

** Sect. I. §. I. fin.

bitumque *eorum*, *quibus* ille edendi ac bibendi *monita dedit*: tum nouum vero ſenſui fulcrum, nouus profano ſenſui obex ponetur. Minime enim iſta conſilia ingeruntur diſſolutis animis, ad luxuriam vel ſine monitore pronis; quos tantum abeſt, vt admotis velut calcaribus magis exſtimulet, vt potius inter media gaudia ſeuero iudicii diuini fulmine percellat, c. XI, 9. Cum viris probis Salomoni res eſt, graui munerum labore variisque caſibus oppreſſis, qui, quum omnia vsquequaque ad virtutis ac iuſtitiæ normam compoſita cuperent, obuerſantibus paſſim iniuſtitiæ & confuſionum ſpectaculis ita diſcruciantur, vt animum deſpondeant, atque moeroris dolorumque fluctibus inuoluantur. At hæc, inquis, pios ſcilicet hic compellari, ex tuo forte fingis ingenio! Minime vero, habeo enim eius rei ipſum Salomonem locupletisſimum teſtem, qui eo ipſo in loco (c. IX, 7.) vbi tam grauiter eſum potumqne commendat, vt Epicuræum aliquem hominem in ſcenam producere male nonnullis * videatur, mox eundem, cui dixerat לך אכל *Age! comede!* ita adloquitur כי כבר רצה האלהים את מעשיך *iam dudum enim* DEVS *opera tua adprobauit*. Quod num homini profano & luxuriæ dedito dici poſſit, ipſe cogita: conf. Gal. V, 21. Eph. V, 6. Vnde rectiſſime ad locum allegatum R. SALOMO: אבל אתה הצדיק שכבר רצה הקב״ה מעשיך הטובים ותזכה לעולם הבא לך אכל בשמחה *Tu vero, o iuste, cuius grata habuit bona opera* DEVS, *quique purus es pro ſæculo futuro, age, come-*

* Sic ABRAHAM BEN EZRA ad c. IX, 4. זה מחשבת בני האדם *Hæc eſt cogitatio filiorum hominum.* & ad v. 7. זה דבור לב בני האדם והוא הוללות *Hæc eſt ſermocinatio cordis filiorum hominum, eſtque mera inſania.*

comede cum lætitia. Vt aliorum nunc ſuffragia taceamus.*

§. IV. Nouum vero iſti conſiderationi pondus accedet, ſi cogitaueris, iſtas ad hilarem cibi potusque vſum inuitationes deſtinatas eſſe, vti in genere viris rectis & ingenuis, ex caſuum humanorum aſperitate ægris; ita proxima ac præcipua quadam ratione iis, qui *Hebræorum genti* ſuam originem debebant. Iudæis enim tum hæc, tum reliqua λόγια τȣ̃ Θεȣ̃ olim concredita fuerunt. Rom. III, 2. At quid hæc, dices, ad rem? Permultum ſane. Iudæis enim ac reliquis orientis incolis eam maxima ex parte contigiſſe naturam, cui multum μελαγχολίας admixtum eſt, nemo ignorat, niſi qui Iudæos ignorat. Inde vero illud conficitur, vt vbi ſemel animum permiſerunt triſtitiæ, modum finesque ſtatuere moerori neſciant. Erat enim vniuerſim, vt obſeruat CLAVDIVS FLEVRY, * ea veterum ratio, vt magis indulgerent naturæ, de diſſimulandis animi adfectibus minus curioſi. Vnde vbi animo hilari erant, cantu ſaltuque lætitiam præ ſe ferebant; at vbi illos adfligebat triſtitia, omnia ad teſtandum luctum animique dolorem componebantur. Hinc lacrimarum flumina 1. Sam. XX, 41. 2. Sam. III, 16. paſſi ac lacerati capilli Eſa. XLII, 2. Ezr. IX, 3. cineres inſperſi capiti Ezech. XXVII, 3. Iob.

 II, 12.

*Egregie, vt omnia ad hunc librum, B. MART. LVTHERVS Tom. III. Ien. f.271. b. *Non hic ſuadet vitam voluptuariam & luxum eorum, qui non ſentiunt iſtam mundi vanitatem, ſed de piis loquitur, qui ſentiunt vexationes & moleſtias huius mundi. Iſtorum deiecta corda vult erigere: iſtis lætitiam conſulit, ne frangantur animo, ſed ſtrenue pergant.*

** in Tract. Gall. cui titulus *Les mœurs des Iſraelites.* P. II. c. XIV. §. II.

II, 12. manus complosæ, verticique impositæ 2. Sam. XIII, 19. Ier. II, 37. pedes discalceati 2. Sam. XV, 30. illotæ ac sordidæ vestes 2. Sam. XIX, 24. percussio pectoris Luc. XVIII, 13. vigiliæ Ps. CII, 8. obstinata silentia Iob. II, 13. Thren. II, 10. ac reliqua moestitiæ signa, quæ longo ordine MARTINVS GEIERVS *de Hebræorum luctu* docte persequitur. Quumque ea inprimis sit animi tristis, variisque compressi anxietatibus, indoles; vt cibos omnes, vel delicatissimos, fastidiat Psal. CII, 5. solebant Hebræi, grauiore luctu conturbati, vel omnibus abstinere alimentis, ut exempla *Dauidis* 2. Sam. XII, 16. 20. *Achabi* 1. Reg. XXI, 4. aliorumque ostendunt; vel post solis tandem occasum 2. Sam. I, 12. viliores cibos, aqua diluendos, capere. Talibus igitur hominibus medicinam paraturus Salomo, quos concepta ex asperis vitæ casibus tristitia ne in corpus ipsum iniurios redderet, periculum erat; noli mirari, quod ad mensam ipsos ac vinum, pio ac sereno animo capiendum, inuitet. Neque enim ipsorum statui quidquam dici accommodatius potuisset, neque verendum erat, ne istis monitis ad luxum & *ἀσωτίαν* homines probi abuterentur.

§. V. Sequitur, vt ex *scopi* etiam consideratione, vero sensu firmato, adulterinum destruamus. Rectissime enim CHRYSOSTOMVS * *ὡς ἄνευ θεμελίου σαθρὰ ἡ οἰκοδομὴ, οὕτως ἄνευ τῆς εὑρέσεως τοῦ σκοποῦ οὐκ ὠφελεῖ ἡ γραφή. Vti fragile & ruinosum est sine fundamento ædificium, ita, nisi inueniatur scopus, Scriptura non est vtilis.* Quod si in vllo alio libro, in hoc certe, quam maxime obseruandum est, vbi si scopum & finem loquentis recte habueris exploratum, tum demum quasi in arcaniora Auctoris consi-

* in Psal. III. Tom. VIII. fol. 1. Edit. Savilianæ.

consilia intromissus, dictorum sensum & facilius & profundius percipies. Hic vero otium lectoribus fecit sapiens Auctor, dum ipse סוף דבר seu τέλος παραγγελίας 1. Tim. I, 5. dictorumque suorum omnium summam his verbis c. XII, 13. admirabili breuitate complectitur: את האלהים ירא ואת מצותיו שמור DEVM *time, eiusque præcepta custodi.* Caue igitur aliam lætitiam, aliumue esus ac potus vsum, tibi in hoc libro præscribi putes, quam huic generali scopo ex asse conformem, honestum, sobrium, limitibusque timoris DEI circumscriptum. Quisquis enim id sibi propositum habet, vt animum lectoris componat quam curatissime ne qua exorbitet, atque vbique reuerentiam Numinis, effusæ lætitiæ frenum, commendat; ab eo si comissandi licentiam exspectes, egregie nimirum falleris.

§. VI. Verum enim vero *singularis* insuper *scopus* est, vltimo isti ac summo subordinatus, quem in his ad esum potumque commonitionibus sanctus Auctor sibi præfixit. Scilicet quum hanc vitam refertissimam ærumnis deprehenderet c. I, 13. 14. quas probos pariter ac improbos experiri oportet, c. II, 14. id sibi dabat negotii, vt exploraret, quid ad illas molestias abstergendas, vitamque suauius transigendam, quam maxime expediret c. II, 3. Ibi igitur sapientiæ humanæ infirmitate deprehensa c. I, 17. ad vana primum ac voluptuosa gaudia, largioremque vini vsum, incautus conuertitur c. II, 1. mox eruditionis studium voluptatibus iungit v. 3. mox alias ex operum pompa delectationes venatur, verum in his omnibus tantum aberat, vt aliquod miseræ vitæ condimentum leuamenque curarum inueniret; vt potius operum pariter ac vitæ ipsius tædio caperetur v. 17. 18. Vnde illud tandem consilium commendat, velut probatum ad-

uersus rugas ærumnasque remedium, vt fruamur bonis diuinitus concessis, pectusque inter communes vitæ casus quietum seruemus, contenti præsentibus, futurorum non nimis suspicaces augures, atque a DEI nutu & manu toti pendeamus. Id si cum vita luxuriosa, & ad omnem profligata libidinem, consistere posse putas, σιδηρόξυλον fingis, quo nullum vnquam portentosius fuit. Vides igitur, quod profanus ille sensus totius libri, harumque ipsarum adhortationum, scopum penitus euertat. Ea autem viro sapienti tribuere, quæ contra scopum ipsius aperte pugnant, quantum contra omnes regulas hermeneuticas delictum est!

§. VII. Atque id luculentius patebit, si integram *orationis seriem* & quæ cum antecedunt, tum sequuntur, in auxilium vocaueris. Quod enim de vocum Hebraicarum punctatione docte obseruat S. Rev. D. DANZIVS,* *quidquid literarum extra orationis nexus velut Proteus formas se vertit in omneis; id si intra contextus tenacia vincula teneatur, ab antecedentibus & consequentibus tam arcte premi, vt mox statam adsumat formam, suis conuenientem vicinis*: idem quodammodo de sensu dictorum adfirmare licet. Finge enim lacera verba, & a reliquo orationis corpore seiuncta, posse alienum a pietate sensum obtinere; mox tamen aliam faciem ac statam quasi formam ex contextus sui vicinia induent.

§. VIII. Perlustremus igitur animo proposita dicta, quamque ex eis, quæ illa circumstant, lucem fœnerentur, breuiter videamus. Et ad primum quidem locum quod attinet c. II. descripserat Salomo v. 22. 23. viuis quasi spirantibusque coloribus prorsus stolidam eorum hominum mise-

* in Præfat. Rabbinismi enucleati, p. 3.

miſeriam, qui laboribus peragendis dies noctesque defatigati, adeo tenuem percipiunt operum ſuorum fructum, vt poſt mordaces & inſomnes curas, vitamque totam inter dolores tranſactam, ridenti tandem & otioſo hæredi partas labore opes relinquant. Eorum igitur ſtultitiæ & in corpus ſuum iniuriæ v. 24. opponit placidum rerum acquiſitarum vſum, tanquam dulce laborum ſudorumque adlenimentum. Qua in re quid luxui & otio dederit, non video. Eamdem oppoſitionem obſeruare licet c. V. vbi illam ad eſum, potumque admonitionem v. 17. & antecedunt v. 9.-16 & toto capite ſexto ſequuntur inuectiuæ in auaritiam, illam malorum radicem, orationes: quibus dum cibi commendationem immiſcet, quid aliud dicit, quam illud Apoſtoli 1. Tim. VI, 8. ἔχοντες διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, τούτοις ἀρκεσθησόμεθα. *Si alimenta habuerimus ac veſtimenta, hiſce contenti vt ſimus par eſt.* Nihil hic profanum, nihil non conſonans virtuti; neque dum auaritiæ obicem ponit, luxuriæ repagula idcirco reuellit.

§. IX. Ad cap. VIII. progrediamur, vbi rurſus ex ſuo contextu aliam faciem accipit comma decimum quintum. Deſcripſerat ibi ambiguam proborum ac improborum ſortem, de impiorum felicitate v. 10. 12. piorumque aduerſitatibus v. 14. vehementer conqueſtus. Quæ ipſa res quantum vexauerit fideles V. Teſt. legis promiſſionibus adſuetos, Pſalmus XXXVII. & LXXIII. & reciprocati inter Iobum amicosque ſermones abunde teſtantur. Contra illas igitur querelas ac rugas commendat rurſus ſuam illam amatam tantopere *mentis ſerenitatem*, vultque, vt veræ ſapientiæ ſtudioſus inter mala, quæ patitur, omnia, animum a tumultu curarum liberum, tranquillum, inque functio-

nibus ſuis alacrem habeat, DEI fauore contentus, & de lætiore rerum cataſtrophe certus. Plane vt in hac cauſſa amiciſſime cum patre ſuo filius conſentiat, qui pariter Pſal. XXXVII, 4. poſt diſſuaſam de impiorum fortuna iram, *delectare*, inquit, *DOMINO, & dabit tibi, quæcumque animus tuus deſiderauerit*. Denique quod ad poſtremum locum attinet c. IX, 7. rectisſime de eius cohærentia SEBASTIANVS SCHMIDIVS: Dehortatus, inquit, inde a c. VIII, 16. a curioſitate in rimandis diui- „ nis iudiciis, nunc inſtruit lectorem ſuum, quomodo ſe hac „ in cauſſa gerere debeat: quod nimirum, omiſſo curioſiore „ illo iudiciorum DEI non reuelatorum ſcrutamine, con- „ tentus eſſe debeat iis, quæ DEVS in verbo ſuo reuelauit, & „ ſe ſuaque DEO committens, bono animo lætoque præſen- „ tibus pie & licite frui. En igitur rurſus comeſtionem op- „ poſitam luctui, qui animum pium, paria iuſtorum ac ſceleratorum fata meditantem, ad cibi potusque faſtidium adigere posſit. Atqui neque hic vlla ſe Epicuræiſmi veſtigia produnt.

§. X. Conſideremus porro expreſſam paſſim illius *gaudii indolem*, quod Auctor laudat. I. Non illud inter pocula naſcitur, neque innatat vino, ſed *a benigna Numinis manu* porrigitur, a qua abſit, vt aliquid mali proficiſci queat. c. II, 24. c. III, 13. c. V, 18. Neque II. in promiſcuam mortalium multitudinem inſigne illud donum coniicitur, verum לאדם שטוב לפניו *homini, qui DEO placet*, deſtinatur. c. II, 26. III. Perpetuam *comitem habet* ſinceram *pietatem*, mentemque recti conſciam, veræ lætitiæ nutricem: vnde arctiſſimo inter ſe nexu coniuncta videas c. III, 12. לשמוח ולעשות טוב *lætari ac facere bonum*; non alio certe ſenſu, quam illa phraſis Pſal. XXXIV, 15. & XXXVII, 3. 27. & alibi adhibetur. IV. Non in otio delicato, ſed *inter* continuatos honeſti officii *labores* perſentiſcitur, c. II. 24. c. III, 13. 22. c. V. 17. 18. c. IX, 7. 10. Has tu mihi lætitiæ Salomonææ qualitates in ludicris & profanis hominum voluptuoſorum gaudiis oſtende, & eris mihi magnus Apollo.

§. XI.

§. XI. Adiunge *rationes, quibus in illo gaudio suadendo*, esuque ac potu commendando, Auctor *vtitur*, & nouis telis profanus sensus confodietur. I. *Bonum* vocat, laudatam a se lætitiam, & tale quidem bonum, quo, si a supremo illo bonorum apice, qui in DEI positus communione est, discesseris, nullum ad leuandas vitæ miserias præstantius inuenire licet, c. II, 24. c. III, 22. c. VIII, 15. bonum præterea, *quod pulchrum est*, c. V, 17. hoc est, vt MART. GEIERVS interpretatur, in quo debita reperitur humanæ sustentationis ac refectionis harmonia, absente omni vanæ solicitudinis deformitate. II. Proponit tibi *miserandum eorum statum*, qui egregio illo lætæ *ἀυταρκείας* bono destituti, in tenebris & squalore sedent, atque pallidi, suspicaces, queruli, exsomnes, opibus aceruandis intenti, non audent iugi labore parta attingere, c. II, 23. c. IV, 5. 6. 8. c. V, 15. 16. c. VI, 2. 9. cet. III. Dum illam animi serenitatem tanquam *DEI donum* extollit, recti cultoribus paratum, c. III. 12. c. V, 18. summam insinuat felicitatem, ex isto gaudio percipiendam. Inter DEI nimirum clientes ac beneficiarios te relatum senties, qui publicis quasi illius sumtibus viuunt & aluntur. IV. Suæ ad gaudium cohortationi certum fauoris diuini sensum fundamenti loco substernit c. IX, 7. argumentoque ex ipsis pietatis visceribus depromto, ideo te lætum esse, ac frui donis diuinis cupit, quod DEVS mores laboresque tuos clementer adprobatos, hilaritatis dono remunerare velit. conf. 1. Ioh. III, 21. Nunc age, quisquis es, & iisdem argumentis vsus vana vano homini gaudia, si potes, persuade. Enim vero comperies, inutilem tibi esse istarum rationum adparatum, teque נזם זהב באף חזיר *annulum aureum sui* Prov. XI, 22. adplicare.

§. XII. Denique vt omnis menti tuæ suspicio eximatur, quidquam profani istis ad esum potumque adhortamentis subesse, faxo, vt ex *Scripturæ parallelismo* cognoscas, alios viros sanctos simili phrasi eandem rem expressisse. Esaiam audiamus, qui c. LXV, 13. de *seruis DEI* prædicit, quod, impiis fame contabescentibus, illi læto animo *comesturi sint ac bibituri*. Succedat Nehemias, qui ad Hebræos, ex legis prælectione perculsos ac tristes, *Agite* inquit, *comedite pinguia & dulcia bibite - - neque dolore adficiamini: gaudium enim Iehouæ est robur vestrum*, c. VIII, 10. Hunc Paulus excipiat, qui 1. Cor. X, 31. eo modo Corinthios *edere ac bibere* iubet,

vt omnia ad DEI gloriam faciant, quique 1. Tim. VI, 6. pietatem cum *αὐταρκεία* sororio vinculo connectit: vt de illo toties repetito: *πάντοτε χαίρετε, ſemper gaudete!* Phil.III,1. c. IV, 4. 1. Theſ. V, 16. nihil dicamus. Denique nec ipſum, qui primo loco nominandus erat, magiſtrum puduit, ſuis diſcipulis *edendi* ac *bibendi præcepta* dare Luc. X, 7. *Exempla* inſuper deſideras? neque illa deſunt. *Ioſiam* recordare, a DEO ipſo laudatum, quod *ederit ac biberit*, iuſtitiamque adminiſtrarit. Ier. XXII, 15. Si ille non ſufficit, perfectiſſimum reſpice virtutis exemplar, SERVATOREM mundi, qui de ſe ipſo, Venit, inquit, filius hominis *ἐσθίων καὶ πίνων*, Matth XI,19. Adde N. Teſtamenti primos fideles, ab omni luxu remotiſſimos, qui *cibum cepiſſe cum lætitia* animiq; ſimplicitate dicuntur Act. II, 46. En genuinos monitorum Salomonis obſeruatores!

§. XIII. Atque hæc, opinor, ſatisfacient animo veritatis amanti, nec præconceptis opinionibus excæcato. Qui ſecus de Salomone eiusque exhortationibus ſentiunt; quo id iure agant, ipſi viderint. Nos nihil addimus, præter eximia verba HERMANNI WITSII, * ad noſtra verba adplicata: *Nihil his monitis niſi virtus docetur, non fucata illa, auſtera, tetrica; quæ ex ſordibus & illuuie, & ἀφειδία τοῦ σώματος* (Col. II, 23.) *laudem captat: ſed ingenua, liberalis, hilaris; quæ, deprehenſa rerum ceterarum inanitate, felicitatem ſuam quærit & inuenit in conſcientia tranquilla & læta, atque vſu bonorum, ex fauore diuino profluentium, ita tamen vt memor fluxæ huius ac lubricæ vitæ & imminentis iudicii, omnia cum reuerentia Numinis peragat.*

COROLLARIA.

I. *Pulueris comeſtio*, quæ Gen. III, 14 diabolo ſeductori pœnæ loco imponitur, grauiſſimam inuoluit hoſtis illius coercitionem, cum extrema ignominia coniunctam.

II. *Carnis eſum* ante diluuium licitum fuiſſe putamus.

III. Quum *butyrum & mel comeſturus* Meſſias dicitur Eſa. VII, 15. ſignificatur, eum educandum eſſe in terra *fertili & paſcuis floribusque abundante*, atque communibus cibis, inſtar prophetarum 1. Reg. XIV, 3. Matth. III, 4. aliorumque hominum Sir. XXXIX, 31. eſſe vſurum.

IIII. Phraſi *de torrente bibere in via* Pſal. CX, 7. diuinum illud ſolatium atque auxilium exprimitur, quo inter adflictiones Meſſias confirmatus, triumphum de hoſtibus reportaturus ſit.

* In Miſcellan. ſacris Tom II Exerc. VI. pag. 165.